

annum II. Pontificatus aut diem XII. Calendas Novembris attigit, in die Natalis domini anno 1046. electus et die IX. Octobris anni 1047. defunctus; feditque solum menses novem et dies quindecim. Catalogos Pontificum varios non moramur, qui in diebus Clementis variant, cum nostra sententia solidis superstructa sit fundamentis. Sed hæc obiter.

XXXII. Cl. vero Schannatus benigne interpretabitur, quod authentica ejus Diplomata et Bullas ob tot errores in stylo curiæ, in rebus atque in Datis commissos pro talibus agnoscere non possim. Quidam eorum graves sunt, alii primo quidem aspectu leves, qui tamen faciunt singuli, ut monumenta, in quibus extant, in foro ecclesiastico et civili valere non possint. Forum autem historicum rigidius est et multo scrupulosius. Si vir doctissimus profiteretur, se Privilegia et Bullas, quibus utitur, ex Chartariis et Apographis protulisse, excusari possent sphalmata quædam, quæ in autographis intoleranda sunt. Legat quæso, Ruinarti Præfationem in Mabillonii opus Diplomaticum, et expendat, quæ §. IV. de defectibus et vitiis dicit, quæ Diploma, cui insunt, falsum et confictum esse declarent. Videbit certe nos non alia in ejus autographis notasse et condemnasse. In apographo paroramata in Datis commissa, glossëmata intrusa, nomina non recte scripta librario imputamus, res eo contentas, si cum historicis coævis, moribus temporum, rebus gestis convenient, si personæ nominatæ testesque ea, qua datum est, ætate vixerint, probamus. Chartæ hujusmodi apographæ sua auctoritas in foro historico et juridico non facile denegatur apud judices æquos. Rem exemplo domestico liceat illustrare, quod Cl. Schannato non ignotum erit. Productum est ante hoc tempus in Curia Romana Diploma Henrici III. Imperatoris, quo proditur, in Synodo Moguntina, auctoritate Leonis Papæ, statutum, Episcopo Wirceburgensi nullum jus competere in Monachos Fuldenses et eorum Monasterium, atque ordinatum esse, ut, ad evitandas Archidiaconorum Wirceburgensium molestias, Clericus loci Fuldensis ab Abbate præsentatus *Bannum* ab Episcopo acciperet, atque, ut idem Clericus ex Episcopi auctoritate in nonnullis Ecclesiis *placitum* haberet. Diploma hoc est: *In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Constat nos divina disponente gratia cæteris supereminere mortalibus, unde oportet, ut cujus præcellimus munere, ejus studeamus modis omnibus voluntati parere. Quapropter omnium Dei nostrique fidelium, præsentium scilicet et futurorum, noverit industria, qualiter litem, quæ inter Episcopum Wirceburgensem et Abbatem, Fuldensem fuit, auctoritate Domini Papæ Leonis et consilio multorum fidelium nostrorum placuit nobis diffinire. Episcopus namque Wirceburgensis Adelbero conquestus est Domino Apostolico Leoni et nostræ excellentiæ in Synodo, quæ celebrata est Moguntia, quod Abbas Fuldensis denegaret sibi Episcopalem auctoritatem super se et Monachos suos et locum Fuldensem. Egbertus vero, qui tunc Abbas Fuldensis Monasterii extitit, Privilegia multa Romanorum Pontificum et traditiones prædecessorum nostrorum Imperatorum et Regum, permissu Domini Papæ et nostro in medium protulit, in his defendens se, quod nulli alii nisi Romano Pontifici subditus esse deberet. Quorum quidem gravem conflictum pacifice terminare desiderantes, auctoritate Domini Papæ et consilio nostro sanctæque Synodi, ipsoque Wirceburgensi Episcopo consentiente, sequentes privilegia Pontificum et præcepta Imperatorum, statuimus, ut in præfato loco Fuldensi nec in Abbatem, nec in Monachos,*

In autographis Diplomatum vel minima vitia non sunt ferenda, quæ in apographis excusantur.

Apographum Diplomatis Henrici III. Imp. a suppositionis suspicione vindicatum.